



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

591. Ad quas Ecclesias extendant se hæc concordata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

Iart. ad hac concordata rit. 3. dub. 1. Chok. ad Reg. 8. gl. 81. num. 2. Zipa. consult. Can. l. 3. consult. 5. ex Wamel. conf. 33.

Questio 591. Ad quas Ecclesias se extendant hac Concordata?

1. Respondeo primò, aliquas esse Ecclesias, quæ sub his concordatis continentur per viam comprehensionis, ut sunt Ecclesiæ nationis Germanicæ; alias verò esse Ecclesias, quæ sub eisdem concordatis continentur per viam extensionis seu communicationis. Lott. l. 2. q. 28. num. 62. taliter, ut Lott. *ibid.* num. 63. sub concordatis Germaniæ per viam extensionis continentur Ecclesia Viridunensis, ut firmavit Rota in Viridunensi Episcopo parisi. 11. Novemb. 1593. Item Ecclesia Metensis, ut Rota in Metensi Eleemosynaria. 17. Decemb. 1612. Item secundum aliquos Ecclesia Genuensis, de quo Gemina. conf. 56.

2. Respondeo secundò: Concordata hæc non extendere se ultra Imperii Germanici fines; quippe cum solo Imperatore & Principibus Germaniæ nomine solius nationis Germanicæ inita. Nicolart. loc. cit. §. 2. citans Wamel. consultor. can. to. 1. conf. 246. num. 16. & conf. 255. nu. 10. Zip. loc. cit. rit. de præb. consult. 3. 5. 6. pacta siquidem non nisi partes contrahentes ligant, nec ultra extenduntur, aut aliis profunt vel obliunt, juxta l. 2. c. res inter alios acta. Unde jam mirum non est, ea locum non habere in provinciis Belgii, utpote quæ de Imperio non sunt, neque unquam ab earum Principibus aut prælatis acceptata, si exceperis Ecclesiæ Nivellensem, quæ Principatus est Imperii, & fundationis imperatoris: Cameracensem, quæ feudum est Imperii ac Principatus, nationis Germanicæ membrum: & Trajectensem ad Mosam (quæ urbs est primitus, ut Nicolart. loc. cit. ex Zipa, à Philippo II. Imperatore beneficiario jure concessa Henrico Duci Brabantia, & demum firmiter à Carol. V. eidem Brabantia annexa, non tamen desierat quò ad spiritualia ac temporalia subesse Leodiensibus indivisa ibidem jura possidentibus, adeoque minime mirum eandem Ecclesiam Cathedralis suæ mores imitam Concordata Germaniæ recepisse) Nicolart. cit. §. 2. Zipa. juris pontif. l. 3. de institut. n. 11. & consult. Can. l. 3. consult. 3. à num. 21. ubi etiam per totum fusè probat, qualiter hæc concordata specialiter in Brabantia nunquam acceptata sint, aut specialiter obtinuerint, ac proinde etiam literæ illæ Maximiliani & Caroli V. Leodienses & Cameracenses collatores non obligarint quò ad beneficia in Brabantia sita, nec penas Banni, aliisque in iis contentas locum ibidem habere. Sed neque memoratas Ecclesias Nivellensem, Cameracensem, aliisque similia loca, dum olim subfuere Imperio, modò ex translatione fortè ad alterius dominium primæva amisisse privilegia (intellige Concordatorum) ait Nicolart. citans Chok. ad prætes primarias, in præem.

3. Respondet tertio Zipa. l. 3. juris pontif. loc. cit. Concordata hæc se non extendere ad omnes Ecclesias Germaniæ, eò quòd earum plures gaudentes fortè amplioribus, & sibi convenientioribus privilegiis Concordata illa nunquam acceptarint, ut Herbipolensis, Bambergensis, occasione cuius.

\*\*\*\*  
\*\*

Questio 592. An igitur ad hoc, ut Concordata hæc obtineant, requiratur acceptatio, eaque sit libera, etiam hodieum adhuc?

1. Respondet ad primùm affirmativè Zipa. cit. consult. 3. ita ut, dum dicitur in initio horum Concordatorum, ea iniri nomine nationis Germanicæ, id eatenus solum obtineat, ut includantur, qui declarant, se ea acceptare. Idem sentit Chok ad reg. 8. gl. 11. num. 15. dicens: necesse est, ut illa expressè sint acceptata (intellige à particularibus Ecclesiis, ut Zip.) ut patet ex verbis illis reg. 8. Cancell. & per eos, qui illa acceptare & observare debuerint, acceptatis: citat pro hoc Nav. conf. 1. de constitut. num. 23. Quemadmodum enim alteri facta stipulatio non procedit, nisi dum per personam publicam facta (uti facta in præsentì concordatio per Imperatorem & Principes quosdam nomine nationis Germanicæ) acceptetur ab eo, in cujus favorem facta, Zipa. cit. consult. 3. n. 4.

2. Respondet quoque ad secundum Zipa. loc. cit. nu. 5. & 6. quòd tamen igitur dicta acceptatio necessaria sit ad hoc, ut tollator gaudeat & includatur his concordatis, liberum tamen fuerit, & sit Ecclesiis, earumque Prælatibus & Collatoribus hæc Concordata acceptare vel non, & ita iis includi vel non includi, pateat: que hoc ipsum ex eò, quòd ad finem horum Concordatorum detur facultas ea acceptandi iis, qui uti & gaudere eisdem voluerint, quòd factè foret frustraneum, si ex prima partium (quæ partes fuerunt hinc inde Legatus Apostolicus ad hoc sufficiente auctoritate suffultus à Papa, & Imperator cum nonnullis principibus Germaniæ) approbatione, conclusionem, acceptationem, cetera dein particulares Ecclesiæ & Collatores obligati & coacti fuissent ea acceptare, aut acceptasse citra propriam libertatem censerentur. Sed neque Imperatorem, Germanos seu subditos Imperio obtrinxisse ad acceptanda hæc concordata, neque expressè, neque tacitè acceptando illa, sed arbitrium acceptandi, illa reliquisse, ait *ibid.* n. 7. Zipa. etsi specialiter postmodum Episcopi Leodienses, & Cameracenses, aliique in eorum Diocesisibus Collatores ea non factis observantes iussi sint, ut dictum, à Maximiliano & Carolo V. ea deinceps sedulo observare, de quo vide Zip. loc. cit. num. 33. in fine. Ac proinde argumentum, quòd Rex contrahendo pacta publica & fœdera pro regno aut natione subditos suos obliget, locum hic non habere: Quin & dum principes quidam, etiam Ecclesiastici unà cum Imperatore hæc Concordata acceptarint, non quæ Ecclesiastici, sed ut principes id fecisse, eum, si contraxissent ut Ecclesiastici, nominati fuissent Archiepiscopi, Episcopi &c. ait Zip. *ibid.* num. 2. Horum verò contrarium esse in concordatis Gallia, utpote in quibus solus Rex absque interventu ullorum Magnatum contraxit & concordavit cum Papa, & in quorum Concordatorum sine nequaquam concedatur facultas ea acceptandi & iis gaudendi, sed potius in iis à Papâ & Rege mandetur omnibus istius Regni subditis illa observare, & sic totum Regnum Gallia ab acceptatione Regis & publicatione ligarunt citra ullius alterius arbitrium & acceptationem; constituto enim per Leonem X. ipso Rege, nempe Francisco in protectorem, defensorem, & conservatorem literarum & Concordatorum horum adversus omnes contrarium illis attentantes, tradit Zip. cit. consult. 3. num. 3. & 6. Qui etiam *ibid.* nu. 31. hanc ulteriorem quò ad hoc pun-